



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia
à S.P.N. Francisco institutus**

Pauck, Engelbert

Coloniae, 1720

Num. 109. Innoc. XII. in suo Brevi: Debitum Pastoralis Officii. &c. concessit eandem Communionem Gratiarum, & Privilegiorum 3. Ordinibus S. Francisci, quoad Tertiarios & Chordigeros. Mandat observari ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

integròsque fortiantur effectus, debitaque, totali, omnimodæ & integræ executioni demandentur; ideòque ad ulteriorem requisitionem & instantiam dicti Fratris Francisci Diaz principalis Instantis, fuimus instanter & debite requisiti; quatenus ei in præmissis de aliquo opportuno Juris remedio providere, & Monitorium super observatione cum inhibitione decernere, & concedere velle dignemur.

Nos igitur Carolus Pichius, Judex, & Auditor antedictus. &c.

Sequitur *Monitorium* ad extensum, quod videri potest in *Directorio trium Ordinum*. fol. 235.

CIX. **I**nnoctius XII. in suo Brevi: *Debitum Pastoralis Officii*. &c. dato Romæ ad S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Maji 1694. Pontificatus sui anno 3tio. eandem communionem trium Ordinum S. Francisci approbavit, confirmavit, & roboravit. Imò ex eo Brevi apparet, quòd conceditur uni Provinciæ, in gratiis spiritualibus, intuitu universæ Religionis [nisi specialiter caveatur] censi omnibus commune. In eodem Brevi §. 42. continetur hic tenor:

Quo ad Tertiarios, & Chordigeros, servantur Statuta, seu Decreta Capituli Generalis, Romæ, [ut præfertur] anno 1688. celebrati: omnimodaque adhibeatur cura, ut in cunctis confraternitatibus erectis, seu erigendis, in Ecclesiis Conventuum, seu Monasteriorum prædictæ Provinciæ, exercitium viæ Crucis & Orationis mentalis quam citius stabilietur, eoque introducto una ex Dominicis, seu diebus festivis pro quolibet mense, à Superiore locali, de assensu discretorii Conventus, seu Monasterii in perpetuum assignabitur, ad consequendam Indulgentiam plenariam, novissimè à sanctissimo Domino nostro *Innocentio XI.* in Brevi: *Ad ea*, &c.

benignè concessam; & quia indulgentiæ Stationis sanctissimi Sacramenti revocatæ non sunt; ipsius recitatio quotidiana omnibus tam Fratribus, quàm Monialibus, & Tertiariis sæcularibus enixè commendatur. Breve habetur in Camera A. R. Patris Diaz Romæ in Ara Cæli.

Subscriptum erat,
J. F. Cardinalis Albanus.

QUAMVIS ergo in quibusdam Brevibus Indulgentiæ concessæ Ecclesiis Fratrum Minorum expressè, directè, & immediatè non extendantur ad Ecclesias Monialium; indirectè tamen & virtualiter per communicationem factæ sunt communes Ecclesiis Monialium & Tertiariarum. Ut de omnibus privilegiis, & gratiis spiritualibus, pari modo indubitanter tenet *P. Gaudentius Kerckhoff*, *Comment. in Statut. C. 7. §. 25.* Ideòque recedendum ab opinione *P. Mattheucci* relatà *suprà C. 7. Q. 2. n. 26.* De Brevibus autem pluribus Innocentii XII. tractatur C. sequenti.

C A P U T XXIII.

Brevia, Constitutiones, & Ordinationes *Innocentii XII.* circa tres Ordines Sancti FRANCISCI.

CX. **J**uxta Rubricas particulares Breviarii Romani, impressi sollicitudine reverendissimi Patris Bonaventuræ Boërii, totius Ordinis Fratrum Minorum ex Electis secundum regulam Ministri Generalis, nunc in Regno Neapolitano Archi-Episcopi Salernitani, & approbati ab *Innocentio Papa XII.* præscribitur forma Deo persolvendi Laudes, & ordinandi Divinum Officium, titulo 12. Rubric. particularium; quæ forma ab omnibus Fratrum Ordinibus, & Congregationibus Obedientiæ Ministri Generalis Fratrum

Mi-